

*hic homines habent signa
tria in fronte & sunt
xpistianj—:—*

*sunt ibi iudei qui habent
duo signa*

*quod unus iuit ad sepul-
crum xristi in ierusalem*

*ex hoc habetur quod istis
locis habitant xpistiani &
saraceni*

tres xpistiani sunt/ tres uero sarraceni. xpistiani itaque huius prouincie habent in fatie tria signa. unum uidelicet in fronte alia duo ad genas & signum quod est in fronte tendit quousque ad dimidium nasi. Jsta quidem signa facta sunt cum fero calido. & faciunt ipsa cum parui sunt. & hoc habent ex consuetudine/ nam ad nobilitatem sibi reputant & etiam quia multum ad sanitatem eis confert Sunt etiam ibi iudei qui habent duo signa uidelicet ad genas Et saraceni habent solummodo signum unum uidelicet in fronte usque ad dimidium nasi. Magnus quidem rex permanet in medio prouincie. Saraceni uero permanent uersus Aden. Jstos uero ad xpistianitatem conuerterunt apostoli/ set ignoramus qui fuerint In ista 100v^o prouincia de Abas. sunt gentes ualentes pro armis. & multi equites qui equos multos habent. Et hoc est eis ualde necessarium quia habent gueram cum soldano Aden. & cum illo nubie & cum multis alijs gentibus. Et de hoc narabimus quamdam pulcram ystoriam. Accidit enim quod iste rex qui dominatur toti prouincie Abas qui xpistianus est dixit quod uolebat ire in peregrinagium ad sepulcrum yhesu xristi in Jerusalem. cui nobiles & barones sui dixerunt quod nimis periculosum esset si illuc accederet. set laudauerunt quod miteret unum episcopum uel alium prelatum. Et rex in hoc concordauit. Misit ergo pro quodam Episcopo qui erat homo sancte uite. & ei dixit quod uolebat ipsum loco sui pergere Jerusalem causa uisitandi sepulcrum yhesu xpisti. qui dixit se uele tanquam dominj sua adimplere precepta. cui rex precepit quod se preparare deberet. & quam cicius posset iret. Episcopus tunc se preparauit. et petita licencia in modum peregrini iter arripiens ualde honorabiliter tantum profectus fuit per mare & terram quod peruenit ad ierusalem & iuit ad sepulcrum. coram quo procidens cum multa reuerentia. & deuotione orauit fecitque magnas oblationes ex parte illius regis qui miserat ipsum. Et cum egisset omnia per que iuerat/ iter arripuit cum sua societate. & tantum perambulauit quod peruenit in aden. Et in isto regno 101r^o multum odio habentur xpistiani. quia nullum uidere uolunt set ipsos odiunt tanquam inimicos eorum mortales Et cum soldanus aden sciuit/ quod iste episcopus erat xpistianus. & nuncius magni regis Abas statim ipsum capere fecit & quesiuit ab ipso utrum xpistianus esset. cui respondit episcopus quod xpistianus erat. Et soldanus dixit quod si ipse non uelet se ad legem machometi conuerti/ ei faceret uerecundiam & dapnum inferri qui respondit/ quod potius mori uolebat quam eius fidem presumeret denegare cum uero soldanus eius responsum audiuit in magnum habuit despectum/ & precepit quod esset circumcisis. fuit captus Episcopus a multis hominibus qui ipsum circumciserunt ad modum sarracenorum Et cum hoc egissent tunc soldanus dixit quod illam uerecundiam ei fieri fecerat in dedecus & despectum regis sui domini. Et post hec uerba episcopum dimisit discedere. Et cum Episcopus hoc dedecus recepisset doluit ultra modum. set